



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>

Ingolstadii, 1617

LVII. Casparus à Seckendorff.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

Hæc ex Turnero de Vita, rebus gestis, & morte Illustrissimi Martini excerpere volui; quia Turnero mores & actiones Martini cognitissima erant, qui vt Martini eximius cultor, ita & singularis admirator fuit. Magna porro huic Episcopo familiaritas fuit cum Serenissimis Bauariæ Principibus Alberto & Wilhelmo, à quibus sæpius Monachium inuitabatur.

LVII. Casparus.

Iustis Martino defuncto ritè persolutis, ventum est ad noui Præsulis & Principis creationem. Creatus igitur concordibus Patrum suffragiis Ioannes Otho à Gemmingen, cathedralis Ecclesiæ Augustanæ Decanus, & Eystettensis Canonicus. Sed nullis siue Capituli, siue aliorum etiam principum virorum precibus & auctoritate adduci potuit, vt in Electionem cõsentiret, qui tamen paulò post, nempe anno salutis M. D. XCI. die XXI. Martij cathedram Augustanam moderandam suscepit, cum morte sua eam rectore destituisset Marquardus à Berg Episcopus. Cùm igitur Collegium Canonicorum de obtinendo consensu ab Othone desperauisset, de alio Præsule subrogando circumspexit, lectusque est Casparus ex nobili familia à Seckendorff. XIII. Augusti anno salutis M. D. XC. qui, vt paulò post audiemus, Episcopatum inuitus, nec sine lacrymis, suscepit, ratus, nec forsàn vanè, onus istud suis humeris impar esse; quod postea euentus quoque comprobauit; dato ei à Collegio Canonicorum coadiutore, XVIII. Nouembris, anno gratiæ M. D. XCIII. qui fuit Ioannes Conradus à Gemmingen Canonicus Ecclesiarum Eystettensis & Augustanæ; & huius etiam Decanus. Robertus Turnerus, vir.

&

& humanis & diuinis literis excellenter excultus, in praefatione ad Casparum à Seckendorff, praefixa orationi funebri in obitum Martini Principis, laudat Casparum à cultu D. Virginis. *Primum, inquit, verumq; semen boni Principis & Episcopi in vobis fuit D. Virginem amasse, coluisse, & intra annum, mille supra aureos in eius cultum posuisse, sic ut ausim illustrissimum appellare D. Virginis filium, &c. Deinde lacryma illa, quibus post Episcopatum oblatum, aliquot dies non ponebant modum, mihi videntur & filiae boni animi, & ingentis spei, tanquam menses, pia matres: nam quemadmodum Episcopatum, tanquam consulatū pressare, infinita semper fuit ambitionis, & mali plerunque exitus: sic in Episcopatus curam subire, publica non privata rei ergo, est animi grauidi charitate, qua parit exemplum, famam, Zelum, tandem caelum, nisi forte à Dei contemptu & neglectu pessimis obstetricibus excepta, exeat in abortum, Ecclesia heu infaustum semper abortum. Obiit Casparus supremum diem XXVIII. Aprilis anno Redemptoris M. D. XCV. eo ipso die, quo Eystettensis populus participem se faciebat Iubilaei seu plenariae Indulgentiae quam Casparus à summo Pontifice impetrauerat.*

LVIII. Ioannes Conradus.

Ex vetusta familia Nobilium à Gemmingen, successit Casparo, cui iam antea Coadiutor datus fuerat. Laudes huius Principis continetur in eius Epitaphio velut in quadam Epitome, & est tale.

Ioannes Conradus à Gemmingen, Episcopus Aichstadianus, summa religionis, iustitiae, prudentiae gloria, sacro instrumento, in

ZZ

quo